

liquod in Eccleſia officium præſtant, imò nec reſident, dicendum ſit, dicitur *parte 1. titulo 12. cap. 1.*

XII. Sicuti ad rationem Beneficii Eccleſiaſtici hodie ſpectat, quod ſit *perpetuum*, ita quoque præminentia cum jurisdictione proprie pro Dignitate non reputatur; neque eam obtinens in Dignitate conſtituitur dicitur, niſi *perpetua* fuerit, utrumque perpetuum vigore Canonice institutionis aſſequatur.

XIII. Ita Vicarius generalis Episcopii non tantum jurisdictionem, sed & præminentiam quamdam habet, præcedendo alios Canonicos, quin & Archidiaconum; præsertim dum nomine Episcopii intervenit in actibus suæ jurisdictionis seu administrationis; verbi gratia in examine Ordinandorum, vel pro concursu ad Eccleſias Parochiales. Hic tamen Vicarius non cenſetur proprie habere Dignitatem, neque in Dignitate conſtituitur; eo quod omnis ejus jurisdictionis, & ex hac profluens præminentia ſit dumtaxat *vicaria* ad nutum revocabilis; unde nec ſimilis Vicarius cum alia Dignitate eſt incompatibilis.

XIV. Ut autem ſciatur quæ pro dignitate haberi debeant, inſpicenda eſt institutio ac poſſimum Eccleſiarum conſuetudo. Quædam enim in una Eccleſia pro ſimplici officio aut Beneficio, & in aliis pro dignitate reputantur. Similiter quo ad ordinem & præminentias inter dignitates, ſingularum Eccleſiarum conſuetudo; quæ in ſingulis penè Eccleſiis diverſa eſt, attendenda eſt, uti rectè advertit Pintorius *De Beneficiis cap. 4. §. 20. num. 7.* additque, conſuetudinem cujuſque Eccleſie ita ſpectandam, ut eate nus quilibet dicatur habere *dignitatem* vel officium, quatenus reputatur eſſe in officio vel *dignitate*, ut in hoc verè dici poſſit, plus eſſe in opinione, quam in rei veritate, quod omnes Interpretes (ait) uno ſimul ore pronuntiant auctoritate *Cap. CUM OLIM De Conſuet.*

XV. Jura honorifica, quæ hodie ſolent competere iis qui in dignitate ſunt conſtituti; quæque hodie quodammodo indicia ſunt dignitatum; & utinam à plerique præcipue non appetantur! conſiſtunt plerumque in loco honorabiliſſimo ſive digniori in choro, in congregationibus, & proceſſionibus aliſque publicis conventibus; item aliquando in veſtium diſtinctione; quod v. g. præter Superpelliceum, Rochetum ferre poſſunt; inſuper, quod ſapius quam reliqui Canonici aliſque Clero incenſentur, aliſque ſimilibus; circa quæ ſingularum Eccleſiarum conſuetudo principaliter attendenda eſt.

XVI. Hoc unum ſummopere dolendum, quod ferè penes hæc ſola jura honorifica dignitates Eccleſiaſticae æſtimentur, hæcque ſunt pro quibus in dignitate conſtituti maxime ſape ſunt ſolliciti: pro quibus conſervandis, aut nonnumquam etiam argendis, contentiones & lites, cum magno laicorum ſcandalo excitantur, ſummoque fervore aguntur.

XVII. Sanè hæc honoris & præminentie ſigna unice ex mente Eccleſie exhibentur, ut impleatur illud Apoſtoli: *Cui honorem, honorem*; id eſt, honor & reverentia exhibeatur iis, quibus honor ob gradum quem in Eccleſia obtinent, debetur; non ut ipſi inde extollantur, ſed potius ut memores officii ſibi ratione eminentioris gradus incumbens humiliantur, & de ratione reddenda contremiſcant.

XVIII. Meminiſſe debent, quod dignitates in Eccleſiis præſertim Cathedralibus, ad conſervandam augendamque Eccleſiaſticam diſciplinam fuerint inſtitutæ, uti loquitur Synodus Trid. *ſeſſ. 24. cap. 12. De Reformat.* ut qui eas obtinerent, pietate præcellerent aliſque exemplo eſſent, atque Episcopos operæ & officio juvarent. Ex quo tamquam conſequens inferit Synodus: "Merito qui ad eas vocantur, tales eſſe debent, qui ſuo muneri reſpondere poſſint."

Itaque quod ad Episcopos & Prælatos dixit S. Bernardus, ad omnes in dignitate conſtitutos merito dici poſſit: "Honorificabitur autem (ministerium) non cultu veſtium,

non eorum factu, non amplis ædificiis, ſed ornatis moribus, ſtudiis ſpiritualibus, operibus bonis."

XIX. At externa illa honoris ac præminentie ſigna, nec non opimi proventus Dignitatibus plerumque annexi, ita oculos hominum obſcureant, ut in iis onera annexa non videant, aut ſane non attendant.

"Multi enim non tantæ fiducia & alacritate currerent ad honores, ſi eſſe ſentirent & onera;" uti loco citato *cap. 7.* loquitur Bernardus, qui & ſubdit: "Gravari proſecto metuere, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent inſulas dignitatum. Nunc verò quia ſola attenditur gloria & non pœna, purum eſt Clericum erubescere in Eccleſia; ſequè viles æſtillant & inglorios, qui quocumque in eminentiori loco non fuerint ſublimati."

Itaque veriſſimum eſt, quod ait idem Doctor ibidem: "Meditantibus (dignitates) honores blandiuntur, ſed onerata penſantibus tædio ſunt æque formidini. Non autem omnes capiunt hoc verbum."

XX. At Eccleſiaſtiæ dignitates ſecundum officia ac onera iis annexa attendens; conſiderantque quod quo majori in gradu & officio Miniſtri ſunt conſtituti, eo magis conveniat, ut præ cæteris ſint ab omni vel ſpecie mali immunis, nonnumquam in inferioribus Miniſtris aliqua toleranda aut permitienda iudicant, quæ nequaquam in Prælatu atque in dignitate conſtitutis toleranda aut permitienda cenſent.

XXI. Quapropter etiamſi dignitates revera ſint beneficia, tamen ſi ſuper aliquo defectu cum Clerico fuerit diſpenſatum, ut non obſtante illo defectu, Beneficium habere queat, non intelligitur ſub nomine *Beneficii* comprehenſa dignitas: ideoque nec vigore hujusmodi diſpenſationis, dignitatem obtinere poterit; ita poſt Garciam aliſque Canonistas Pyrrus Corradus in *Praxi diſpenſationum lib. 2. cap. 6. num. 1.*

XXII. Eadem ratione (pergit Corradus) ſi mandatum ſit ad Beneficia *curata* & *quæcumque alia*, proſecto non includitur dignitas *curata*; quæ quidem dignitas non excluditur, ex eo quod non ſit Beneficium Eccleſiaſticum, ſed quia eſt *qualificatum*.

XXIII. Ad hæc, quia inter dignitates aliæ ſunt aliis majores, etiamſi diſpenſatum ſit ſimpliciter pro dignitatibus, nequaquam tamen cenſetur diſpenſatum pro *majoribus* & *principalibus*, niſi id ſit expreſſum.

Quare juxta ſtylum Curie, quando diſpenſatio conceditur pro quacumque dignitate, ſolet dici, quod non obſtante hoc defectu promoveri queat Orator ad dignitates, etiam *majoris & principales*.

XXIV. Majores autem dicuntur reſpectu Eccleſiarum Cathedralium & Metropolitanarum illarum, quæ in his Eccleſiis poſt Episcopalem aut Archiepiscopalem ſunt *maiores*: pro qua majoritate dignoſcenda, recurrendum eſt ad conſuetudinem Provincialium & Eccleſiarum poſt Mendofam tradit Pyrrus Corradus loco citato *num. 14.* "Et ſic (ait) aliquando prima dignitas eſt Archidiaconatus, aliando verò Archiprebyteratus ſecundum locorum conſuetudines; licet hæc conſuetudine circumſpecta, de jure communi Archidiaconatus ſit major dignitas."

Principales dicuntur in Eccleſiis Collegiatis quæ ſunt primæ in illis Eccleſiis; idque rursus ſpectata conſuetudine Provincialium & Eccleſiarum; habeturque principalis, ſi major dignitas non ſit in ea Eccleſia; etiamſi forſan aliæ nec minores ibidem ſint, uti probat ibidem Pyrrus Corradus.

Videri in hæc rem poterunt, quæ ſupra *titulo 10. cap. 3.* dicta fuerunt occasione diſpenſationis ſuper irregularitate ex defectu natalium,

CAPUT III.

De Beneficiis Regularibus & Secularibus.

1. *Diſtinctio inter Beneficia Secularia & Regularia olim ignota.*
2. *Quæ Regularia dicantur; & quæ ratio ex ipſa Beneficiorum conditione?*
3. *Beneficium Regulari ex fundacione.*
4. *Poteſt eſſe tale titulo præſcriptionis.*
5. *Quid ad hæc præſcriptionem requiratur?*
6. *Quando requiratur poſſeſſio 40. annorum?*
7. *Quid Beneficium Seculare?*
8. *Omnia Beneficia præſumuntur Secularia.*
9. *Exceptiones ab hac regula.*
10. *De quibus Beneficiis regula intelligenda: & ratio regula.*
11. *Regularia Regularibus, & Secularia Secularibus conferenda.*
12. *Prior pars regula probata à Synodo Tridentina.*
13. *An nondum poſſeſſus ſed proſiteri intendens poſſit habere Beneficium Regulari?*
14. *Beneficia Regularia ex ſua natura non conferenda niſi Poſſeſſis vs Concilio Trid.*
15. *Id conforme præxi hodierna.*
16. *Quædam Beneficia Regularia conferri poſſunt nondum poſſeſſis.*
17. *Beneficia non curata Secularia Regularibus conferri nequeunt.*
18. *An Monachi de jure poſſint ad Eccleſias Parochiales Seculares ab Episcopis aſſumi?*
19. *Utrum Monachi olim aſſumpti ad regimen Eccleſiarum Parochialium manerent Monachi?*
20. *Decretum Synodi Lateranenſis de Monachis Eccleſiis Parochialibus præſcribendis.*
21. *Hoc Decretum de Canonicis Regularibus non loquitur.*
22. *Canonicos Regulares de jure ad Eccleſias Parochiales per Episcopum aſſumi poſſunt.*
23. *Contraria reſolutio S. Congregationis probata à Gregorio XIII.*
24. *Ea reſolutio magis militat in aliis Regularibus.*
25. *Suſtinent Canonici Regulares hæc reſolutionem non eſſe receptam: quod & præxi videtur conforme.*
26. *Canonici Præmonſtratenſes dicuntur habere privilegium obtinendi Eccleſias Parochiales ſeculares.*
27. *An Canonici Præmonſtratenſes Beneficia Parochialia præſecti poſſint ad nutum ſolius Abbatis revocari?*
28. *Mendicantes ad Beneficia admitti non poſſunt.*

I. **R** Amosa & communis eſt diviſio Beneficiorum in *Regularia* & *Secularia*; quæ diviſio præcipue ſeculis poſterioribus invaluit; poſtquam & ipſa officia clauſtralia, quæ primitus erant *merè officia* vel *obediencia*, ceperunt ſenſim in Beneficia & Dignitates degenerare; ceperuntque Monachi etiam manentes Monachi ad functiones *hierarchicas* aſſumi.

II. Regularia Beneficia communiter hodie vocantur, quæ Religioſis addita ſunt, aut per Regulares regi debent.

Contingit autem pluribus titulis, ut Beneficia Regularibus habeantur addita. Primò quidem ex vi institutionis ſeu quali natura & conditione Beneficiorum: eo quod officium hujusmodi Beneficii annexum, ipſam Regularium

diſciplinam & regimen, vel quo ad ſpiritualia, vel temporalia immediatè concernat: ideoque conveniens planè ſit, ut Regularibus potius, quam Secularibus officium illud committatur.

Hujusmodi Beneficia ſunt Abbacia, Prioratus, tam Conventuales, quam Clauſtrales, aliæque Regulari regimen concernentia.

III. Secundò Beneficium aliquod poteſt eſſe Regulari in ſpeciali fundacione: quia Fundator Beneficii ordinavit, ut Beneficium Regularibus eſſet additum, ſive per Regulari regetur, ipſumque Beneficium ea conditione ab Ordinario admilſum & erectum fuit.

IV. Tertiò titulo præſcriptionis Beneficium aliquod antea ſeculare fieri potuit regulari; ita ut vi hujus præſcriptionis jam Regularibus cenſeatur additum, & per Regulares regi debeat.

De hoc titulo agit in *Cap. 5. De Præbendis* in VI. ubi declarat Bonifacius VIII. "Quando ſcribitur, ut provideatur de aliquo Prioratu alicui Clerico *ſeculari*, provideari non poteſt de Prioratu, qui per Religioſos (juxta modum præmiſſum) eſt ſolitus gubernari."

Modus autem præſcriptus, & in eodem Capitulo expreſſus eſt, "ſi tanto tempore ab uno vel pluribus Religioſis exiit continuè ac pacificè gubernatis, ut præſcriptio legitima ſit completa."

V. Ad hæc præſcriptionem communiter poſt Gloſſam ad dictum *Cap. 5.* requirunt Doctores poſſeſſionem *quadraginta* annorum; ſive ut Beneficium illud fuerit continue ac pacificè per 40. annos per unum plureſve Regulares poſſeſſum & tamquam Beneficium regulari ipſis Regularibus in *titulum* Beneficii collatum.

Si ipſis Regularibus eſſet collatum ex diſpenſatione tamquam ſeculare, aut forſan ob defectum Secularium commendatum, hæc quantumvis *longiſſimi* temporis poſſeſſio non ſufficeret ad immutandam naturam Beneficii, uti rectè advertit Rebuffus ad concordata titulo *De Collationibus §. Volumus*, verbo, *Regularia*.

VI. Monet quoque ibidem Rebuffus, requiri poſſeſſionem 40. annorum, ut Beneficium ſeculare reddatur regulari, aut e contra; ſed id intelligendum eſſe, "quando probaretur Beneficium eſſe regulari, vel e contrario, vel vera qualitas, ſecus ſi vera qualitas non probaretur; quia tunc ſufficit quod fuerit *ultimò* poſſeſſum per Seculares; licet non interveniret præſcriptio ad hoc, ut Seculari debeat, ſi probaretur poſſeſſio hinc inde, eo caſu attenderet *ultimus* ſtatus." Vide etiam Pyrrum Corradum *lib. 1. Præxi Beneficiorum cap. 6.*

VII. Beneficium ſeculare dicitur, quod Clericis ſecularibus eſt additum, Seculares autem Clerici dicuntur, qui nullam poſſeſſi ſunt Regulari, ſed in ſeculo Deo ſerviunt, ait Rebuffus in *Præxi Benef. parte 1. titulo Quotplex ſit Beneficium num. 1.* Inde & Canonici ſeculares eo titulo diſtinguantur à Canonicis regularibus: quod hi, & non illi Profeſſionem Religioſam juxta certam Regulari emittant; uti latius notatum eſt *parte 1. tit. 7. cap. 1.*

VIII. Tradit ibidem Rebuffus *n. 3.* regulam à Canoniciſtis communiter receptam: "Regulariter omne Beneficium præſumitur ſeculare ex prima vi institutione, niſi probeatur regulari. Ideo (ait *n. 4.*) ſecularis non tenetur probare eſſe ſeculare, ſed is, qui illud regulari dicit: quia habet præſumptionem proſe qui eſt ſecularis."

IX. Exceptionem à Regula ſubiungit Rebuffus *num. 6.* quoad Capellas fundatas in Monafterio: "Quia illæ (ait) præſumuntur Regulares, niſi per Seculares teneri ſint ſolite."

Quod de his Capellis aſſerit Rebuffus, potiori jure dicendum eſt de Abbacia, Prioratu, aliſque ſimilibus Beneficiis, quæ non tantum in Monafterio ſunt fundata, ſed ipſum regimen Monachicum proprie reſpiciunt: proinde Clericis ſecularibus minus conveniunt: utpote qui nec vitam regulari

larem professi, nec ista hac vivendi ratione instituti, minus idonei ad regimen Monasticum creduntur: unde hic recte applicatur illud Pontificis in Cap. 49. de Electione, quod in Magistratum assumi non debeat, qui formam, discipuli non assumpserit, nec sit praeficiendus, qui subesse non novit.

X. Regula ergo supra expressa, & omnium Canonistarum calculo probata, intelligenda est de Beneficiis extra Monasterium in Ecclesiis secularibus fundatis; aut quae ad populi aut Cleri directionem spectant; atque eatenus Monachis & Regularibus vitam contemplativam, & solitariam procul a conversatione secularium remotam profutentibus, minus congruis.

Hinc Rebuffus num. 7. asserens quod Parochiales Ecclesiae praesumantur seculares, quia regulares sunt cum eis in habiles. Cap. MONACHI de Statu Monach. Rationem inhabilitatis subiungit: Nam Monachi plangentis, & non docentis habent officium, Can. MONACHUS & Can. PLACUIT caus. 16. q. 1.

XI. Insuper in hoc Beneficiorum genere recepta est haec regula: Regularia Regularibus, Secularia Secularibus, conferenda.

Haec regula ab omnibus Canonistis probata, fundatur in variis textibus Juris, ac signanter in Cap. CUM DE BENEFICIO, & Cap. CUM SINGULA De Praebendis in VI. item Clem. unica De Supplenda neglig. Praelat. in qua expresse dicitur, quod Dioecesis negligentiam Praelatorum in conferendis Beneficiis vacantibus supplere debeant: Prioratus, Ecclesias, administrationes & Beneficia hujusmodi, illa videlicet quae consueverunt per seculares Clericos gubernari, secularibus Clericis: alia vero quae Religiosis dumtaxat committi sunt solita, vel conferri Religiosis Monasteriorum, quorum Praelati hujusmodi negligentes fuerint, conferendo.

XII. Pars regularis, quae vult Regularia Regularibus conferri, probatur a Synodo Trid. Sess. 14. cap. 10. De Reformat. ubi statuit: Regularia Beneficia, in titulum Regularibus professis provideri consueta, cum per obitum, aut resignationem, vel alias illa in titulum obtinent vacante conuenerit, religiosi tantum illius ordinis, vel illis qui habitum omnino suscipere & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino lanaque contexam induant, & conferantur.

XIII. Hoc Decretum Synodi videtur admittere, ut Beneficia Regularia conferantur iis Clericis secularibus qui habitum omnino suscipere & professionem emittere teneantur; at Fagnanus pluresque Canonistae putant, distinguendum esse inter Beneficia Regularia: ut mirum illa quae administrationem seu Regimen Monasticum sive regulare annexum habent, ut sunt Abbatiae Prioratus familiaque Beneficia regularia non comprehendantur sub his verbis Concilii Tridentini; sed dumtaxat Beneficia Regularibus conferri consueta; atque eo titulo Regularia; sed nullam administrationem aut regimen Monasticum seu Regulare habentia: eamque distinctionem etiam probabilis Sacram Congregationem refert Fagnanus ad Cap. CUM CAUSAM de Electione num. 38. Nam proposito dubio: an praeter Papam ordinari Collatores possint Regularia Beneficia in titulum Regularibus professis provideri consueta conferre etiam secularibus, qui illius Ordinis habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur. Die 12. Decembris 1587. Sacra Congregatio censuit, posse etiam ordinarios Collatores portiones Monachales, & canonicas, & familia simplicia Beneficia Regularibus provideri consueta conferre, nedum ejus Ordinis professis, sed & secularibus, qui habitum suscipere, & professionem emittere omnino teneantur. Abbatias tamen, & Beneficia administrationem habentia non nisi profectis juxta Canones per Ordinarios inferiores conferri posse.

XIV. Probat igitur ibidem Fagnanus quoad Beneficia

Regularia administrationem Regularem habentia, in nullo derogatum esse per superius Decretum Concilii Tridentini Juri communitateque & hodie juxta citatum Cap. Nullus, familia Beneficia regularia non posse conferri, nisi expressis Professis. Quod & ipsum Concilium Tridentinum stat inquit sess. 25. cap. 21. De Regularibus dicens quod confidat Pontificem pro sua pietate & prudentia curaturum, ut quae in posterum vacabunt (id est Abbatiae Prioratus, Praepositurae quae suos conventus habent) non nisi Regularibus spectatae vitae & sanctitatis conferantur.

XV. Testatur quoque Rebuffus in Praxi benef. tit. De Dispensatione cum Regularibus num. 24. Hodie non admitti quem in Francia ad Beneficia Regularia, Prioratus, tum aut aliam administrationem, nisi si sit expresse professus, nisi a Papa cum derogatione, & certa scientia &c.

XVI. Quoad Beneficia autem Regularia simplicia, cuiusmodi sunt praebendae, portiones Monachales & alia id genus ad ea obtinenda. non requiritur actualis professio, imo nec habitus regularis; sed satis est, ut hujusmodi Beneficia conferantur Clericis secularibus, qui habitum illius ordinis suscipere, & professionem emittere teneantur, ait Fagnanus num. 34.

XVII. Secunda pars supra dictae regulae, volens Beneficia secularia secularibus conferri excludit a similibus Beneficiis ipsos Regulares.

Conformiter ad hanc regulam, ex omnium Canonistarum sententia, Beneficia secularia non curata, ut sunt Canonicatus, Capellaniae aliaque similia sine dispensatione Papae Regularibus conferri nequeunt. Cap. 9. de Regularibus; & late Fagnanus ad Cap. QUOD DEI TIMOREM de Statu Monach. num. 18.

XVIII. Verum de Beneficiis Parochialibus & Curatis non adeo expeditum est, dubitaturque, num Regulares de licentia suorum Praelatorum ad hujusmodi Beneficia secularia promoveri nequeant; estque in hoc maxima inter Doctores varietas opinionum, ait Fagnanus ad Cap. QUOD DEI TIMOREM de Statu Monach. asseritque communititer teneri, Monachum de jure ex causa neilitatis de Abbatibus consensu ab Episcopo promoveri posse ad Parochialem Ecclesiam sine dispensatione, dummodo cum eo habitet alius saltem Monachus.

Fundatur haec Doctorem assertio praecipue in citato Cap. Quod Dei timorem de Statu Monach. ubi interrogatus Innocentius III. an Canonicus Regularis S. Victoris possit retinere officium Plebani, cui ante professionem praefuerat, respondet: Licet autem in Lateranensi Concilio de Monachis caveatur, ne singuli per villas & oppida per quascumque parochiales ponantur Ecclesias, &c. quia tamen istud de Canonicis Regularibus specialiter non cavetur; qui etiam in Sanctorum Monachorum consortio non putentur sejuncti, regula tamen inserviat laxiori, & per antiquos canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum parochialium regimen in presbyteros ordinari, ex quo debent praedicationis officium (quod privilegiatum est) exercere: sic annuendum duximus postulat, ut exercens plebani officium, si commode fieri poterit, unum Canonicum Regularem tecum habeas ad cautelam: cujus in his, quae Dei sunt & Regularis observantiae, tam consortio, quam solatio perfruatur.

Ex hac Decretali concludunt Doctores, Monachos secundum antiquos Canones potuisse ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari.

XIX. Verum, an dum olim Monachi ad Parochiales Ecclesias & regimen populi assumerebantur, adhuc Monachi manerent, non ita constat; negativam mulis novissime adstruxit Nicolaus Desnos Prior & Administrator generalis majoris Domus Dei Pruvinensis Ordinis Canonicorum Regularium Divi Augustini in suo Canonico Seculari & Regulari lib. 3. cap. 15. & 16. contenditque Monachatum

consistere specificè & essentialiter in renuntiando curis secularibus, & sollicitudinibus ac muneris Ecclesiasticis: quorum primo (ait) Monachus differat à vulgaribus laicis, & secundo distinguitur à Clericis.

Deinde citato Canone 4. Calchedonensis Concilii, quo Monachis injungitur conformiter ad eorum professionem quietem amplecti, jejuniis & orationi tantummodo vacare, nec Ecclesiasticis nec secularibus negotiis se ingerere aut communicare, tandem concludit: Ex quo colligitur, vera & germana imo & unica Characteristica Monachatus, abdicatio scilicet secularium negotiorum & curarum ac sollicitudinum hierarchicorum ac Ecclesiasticarum.

XX. Quidquid sit, certum est, labentibus seculis, Monachos etiam ad curam animarum & functiones Hierarchicas salvo Monachatu fuisse applicatos; quamquam & illud verum sit, quod per Concilium Lateranense sub Alexandro III. in Cap. 2. de Statu Monach. cautum sit, ne Monachi singuli per villas & oppida per quascumque Parochiales ponantur Ecclesias, sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant, nec soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum experiant.

XXI. Hujus Decreti in citato Capitulo Quod Dei timorem meminuit Innocentius III. asseritque istud de Canonicis Regularibus specialiter non cavetur; qui etiam in Sanctorum Monachorum consortio non putentur sejuncti, regula tamen reservavit laxiori: quod uti utum intelligendum credo, quod non tam arctam quam reliqui Monachi solitudinem, & Ecclesiasticas functionibus separationem profectantur: sed magis, quam Monachi ad Clerum accedant. Quem sensum non obscure indicat, dum ex hac sua sententia inferat, officium Plebani Canonico Regulari S. Victoris committi posse.

XXII. Hinc communiter tradunt Doctores, Canonicum Regularem sine dispensatione Pontificia de solius sui Praelati licentia posse per Episcopum ad Beneficium Parochiale, etiam seculare assumi; quod & Synodus Tridentina supponere videtur sess. 14. cap. 11. De Reformat. specialiter ibidem decernens: quod Regularis de uno ad alium ordinem transferatur, etiam si Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia secularia, etiam curata, omnino incapax existat.

XXIII. Nihilominus cum anno 1581. sub Gregorio XIII. quaesitum esset, an Canonici regulares de licentia sui Generalis possint assumere curam tam ad tempus, quam perpetuo Pontifex noluit licere istis Regularibus, etiam de licentia sui Generalis absque permisso summi Pontificis, assumere curam etiam ad tempus, multoque minus Beneficium curatum in titulum. Ita se reperisse annotatum in libris publicis sacrae Congregationis asserit Fagnanus loco citato num. 16. additque: Et subinde cum Canonici regulares Lateranenses peterent, ut sibi liceret cum licentia sui Generalis obtinere Beneficia curata in titulum vel ad tempus, & res à Congregatione delata esset ad Sanctissimum, Sanctitas sua abnuitt.

Ex his patet (ait Fagnanus) Canonicos Regulares hac Decretali (quae incipit Quod Dei timorem) non obstante, hodie assumi non posse ad regimen parochialium Ecclesiarum absque dispensatione Romani Pontificis.

XXIV. Ulterius hinc inferit Fagnanus, quod si Canonici Regulares assumi nequeant absque dispensatione summi Pontificis, multo minus assumi possint aliorum Ordinum Regulares: responditque Congregatio, Regularem ab Episcopo non posse praefici curae animarum sine dispensatione Apostolica, quae non videtur concedenda, nisi instante Episcopo pro necessitate aut utilitate Ecclesiae.

XXV. Verum Gabriel Pennotti Lib. 2. Histor. trip. Canon. Regular. cap. 72. multis probat, etiam jure novo, Canonicos Regulares sine dispensatione Apostolica de li-

centia suorum Superiorum ad Beneficia secularia curata posse assumi, modo translatis non sint de quibus in cap. 11. Sess. 14. Concilii Tridentini neque obtare citatam declarationem S. Congregationis seu Decretum sub Gregorio XIII. quia (ait) eam declarationem quoad Canonicos Regulares numquam fuisse praefecitam; asseritque S. Carolus Borromeus anno 1584. adeoque triennio post editam allegatam declarationem, quemdam Canonicum Regularem ad concursum admisit, eique Parochialem Ecclesiam contulisse; atque ita post dictum Decretum Rotam Romanam ibidem asserit Pennotti; quin & num. 7. refert anno 1602. Sacram Congregationem censuisse Decretum Concilii Tridentini Canonicum Regularem non prohiberi obtinere Beneficia curata secularia, nisi fuerint ex iis transactis, de quibus habetur cap. 11. Sess. 14.

XXVI. Sententiam Pennotti amplectitur Alcanius Tamburinus tomo 3. De Jure Abb. Disp. 9. quest. 8. subjungens ibidem Consilium Vincentii Parenti J. U. Doctorem idipsum fuisse adtruentis. Conformiter ad hanc opinionem, videmus subinde Canonicos Regulares ad Beneficia curata etiam secularia assumi asseritque Canonici Praemonstratenses, se ex speciali quoque privilegio obtinere posse Ecclesiam Parochialem secularem, ut testatur Zypaeus Consult. 1. De Institutionibus num. 3. ibidem notans, quod si Ecclesia sit secularis nec unita Monasterio; sed simpliciter jus patronatus pertineat ad Praelatum, & ad eam praesentem Regulari, que ab Episcopo admittatur, ratio major videatur, quod si ex nutu Praelati non possit amoveri, quam si esset Beneficium Regulare; eo quod Beneficia secularia sint ex natura perpetua: adeoque Regularis ad simile Beneficium à Praelato praesentatus, & ab Episcopo admittitur & instituitur, videatur institutus juxta naturam ipsius Beneficii.

XXVII. Caeterum de amovibilitate sive revocatione Praemonstratensium, qui Parochiales Ecclesias etiam unitis & Regularibus sunt praefecti; tractat Zypaeus in Jure Novo titulo De Regularibus n. 46. ibidem citans duo Diplomata Pontificia, alterum Joannis specialiter Evorborum, dicens Abbatiae concessum, alterum Julii anno 1512. Abbatiae Praemonstratensis, reliquisque generatim ejusdem Ordinis; per quae datur facultas Praelatis suos Religiosos amovendi, quoties eis videbitur, sive ad nutum.

Dein subdit: Quem tamen non pro libidine, sed arbitrio boni viri interponi oportet, atque ex causis justis, quia honor delatus finem certi temporis ac loci non habet. Non tamen levi vel nulla ex causa amotis adversus superiores querelam concedo, ut facit Chenu recueil de reglements tit. 33. cap. 204. ex doctrina Panormitani & Joannis De Selva, quam per dispositionem Tridentini cap. 2. De Regularibus cessare existimo. Haec Zypaeus.

Verum cum non ita pridem fuisse disputatum fuisset in Gallia coram Committariis per Regem deputatis, num Praemonstratenses essent amovibiles & revocabiles à suis Pastoralibus ad nutum suorum Praelatorum sine consensu Ordinarii, facta relatione, judicatum fuit per Parlamentum Regium 12. Sept. 1678. fas non esse Abbatibus, neque Generali Ordinis eos sine consensu Ordinarii revocare. Totus status causae ejusque occasio, nec non rationes utrimque productae late deducuntur in opere quod intulatur, Journal Du Palais, tom. 7. pag. 17. & sequentibus.

XXVIII. In Gallia ex edicto Caroli VII. nullus professor in aliquo Ordine Mendicantium potest promoveri ad quodcumque Beneficium cujuscumque tandem qualiter, exceptis Episcopatibus; sunt & provisi jam pridem repulsi & ad sua Monasteria remissi. Hodie tamen subinde mediante dispensatione Pontifici ab Episcopis admittuntur ad Beneficia Curata in defectum Sacerdotum secularium. Decretum refert Tournetius in collectione Attestorum Lit. B. cap. 42.